



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. III. Alia difficultas expeditur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

gratia & veritatis. Fuit quoque in ipso mediatore à sui conceptione *gratia capitis*. Non solum autem in quantum Deus caput est Ecclesie, sed etiam in quantum homo, & influit motum & spiritum gratiæ in cunctos qui illi copulantur per fidem rectam, vel fidei sacramentum. Fuit etiam gratia unionis, de qua supra dictum est. Hæc Iustinianus de plenitudine gratiæ Christi. Sed cave ne putes hanc tantam diversitatem gratiarum, ex quibus hanc plenitudinem constat, constare ex multiplicibus formis supernaturalibus specie diversis; unica enim gratia Christi habitualis, vel unio hypostatica, ad illa omnia sufficit.

§. II.

Duo corollaria notatu digna.

47. EX dictis inferes primò, plenitudinem gratiæ formalem esse propriam Christo, non verò plenitudinem subiectivam.

Prima pars hujus corollarij patet ex supra dictis, solus enim Christus habet gratiam, & in maxima excellentia seu intensione quæ haberi potest de lege Dei ordinaria, & in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus.

Secunda etiam manifesta est: Tunc enim aliquis dicitur habere plenitudinem gratiæ subiectivam, seu ex parte subiecti se tenentem, quando habet omnem gratiam ad suum statum seu officium pertinentem; & secundum mensuram ei à Deo præfixam, ut in secunda suppositione declaravimus: At non solum Christus, sed etiam sancti habent gratiam intensam secundum mensuram à Deo præfixam, juxta illud Pauli ad Ephes.

4. *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Similiter plures sancti habuerunt omnem gratiam ad eorum statum & officium pertinentem, unde idem Apostolus ad Ephes. 3. *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc illuminare omnes &c.* Ergo plenitudo gratiæ subiectiva, non est propria Christi, sed pluribus Sanctis convenit. Quare S. Doctor hic art. 10. ad 1. *Beata Virgo dicta est plena gratia, non ex parte ipsius gratia, quia non habuit gratiam in summa excellentia quæ potest haberi, nec ad omnes effectus gratiæ, sed dicitur fuisse plena gratia per comparisonem ad ipsam, quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa à Deo, ut esset scilicet mater unigeniti ejus. Et similiter Stephanus dicitur plenus gratia, quia habebat gratiam sufficientem ad hoc quod esset idoneus minister & testis Dei, ad quod erat electus. Et idem dicendum de alijs. Harum tamen plenitudinum una est plenior altera, secundum quod aliquis est divinitus præordinatus ad altiore vel inferiorem statum. Unde inter omnes sanctos Beatissima Virgo, utpote ad dignitatem matris prædestinata, plenitudinem gratiæ subiectivam perfectissimè habuit, ut differt declarat D. Bernardus homil. 3. super *Misus* est, his verbis: *Legimus in Actibus Apostolorum, Stephanum plenum gratia & Apostolos fuisse repletos Spiritu Sancto, sed longe dissimiliter à Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria; nec illi conceperunt de Spiritu Sancto, quomodo Maria.**

48. Inferes secundò, In Christo plenitudinem gratiæ formalem, coincidere cum plenitudine gratiæ subiectiva: quia est in illo in summo secundum

A determinationem divinæ voluntatis & sapientiæ, nam inter gradus gratiæ quos Deus impertiri decrevit, supremum Christo concessit. Non sic in alijs sanctis, & ideo in illis plenitudo gratiæ subiectiva, cum plenitudine formali non coincidit, sicut in Christo.

§. III.

Alia difficultas expeditur.

Dico secundò: gratia Christi habitualis intensione superat totam gratiam Angelorum omnium simul sumptorum. Ita Alvarez disp. 37. & Suarez disp. 22. sect. 2. in fine, & alij, sequiturque ex jam dictis: Nam si anima Christi gratiam recepit, ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios; & si de plenitudine ejus omnes creaturæ rationales accipiunt quasdam tantum gratiæ particulas, nunquam adæquabunt, etiam simul collectæ, ejus plenitudinem, sed illa totam gratiam Angelorum omnium & hominum simul sumptorum intensione superabit. Et certè ita sentire decet de vero iustitiæ Sole, & gratiarum omnium fonte. Sicut enim Sol plus solus lucis habet, quam quævis lucida inferiora; ita & Christus plus sanctitatis & gratiæ fortitur solus, quam simul omnes sancti in cælo & in terra, habentes de plenitudine ejus exiguum participationem.

C Item sicut fons plus aquæ habet, quam rivi omnes ad quos ab ipso aqua defluit; ita & Christus, quem pulcherrimè fonti gratiæ comparat S. Bernardus serm. de nativitate. Deiparæ, uberiorem gratiam sanctificantem adeptus est, quam omnes simul qui ab eo gratiam hauriunt. Et hoc quia est unigenitus, & Filius naturalis: propterea dicitur ad Hebræos 1. *Tanto melior Angelis effectus* (non solum in gratia unionis, sed etiam in gratia habituali) *quanto differentiùs præ illis nomen hereditavit: cui enim dixit aliquando Angelorum filius meus es tu, ego hodie genui te?* Unde Cyrillus lib. 1. in Joan. cap. 17. *Sancti veluti verba in domo sunt, filius autem in domo sua versatur.* Ex quo infert quod alij Sancti habuerunt quadam gratia munera, Christus amplam & totam hereditatem. D Et Hieronymus in cap. 11. *Isaiæ: Quia in ipsa complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter, nequaquam per partes, ut in cæteris Sanctis, sed juxta Evangelium quod Hebræi sermone conscripserunt legunt Nazareni, descendit super eum omnis fons Domini.* Ergo Scripturæ & Ss. Patribus consonum est asserere, gratiam Christi habitalem, totam gratiam Angelorum & hominum, simul & collectivè sumptam, intensione superare.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

E Obijcies primò contra primam conclusionem: Gratia Christi non fuit infinita intensivè, sed potuit augeri, ut dicemus articulo sequenti, & similiter non produxit in Christo omnes virtutes quæ ab ea solent emanare, nimirum fidem, spem, & poenitentiam: Ergo nec intensiva nec extensiva plenitudo gratiæ fuit in anima Christi.

Rpondeo, cōcesso Antecedente, negando Consequentiam, licet enim gratia Christi intensivè finita fuerit, fuit tamen summa quæ ex Dei ordinatione danda erat, quod sufficit ut anima Christi plenitudinem gratiæ habere dicatur, & collectionem